GREGORIUS MAGNUS. HONORIUS AUGUSTODUNENSIS
2. Hälfte 12. Jh. Seite 85v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36569
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



homo potuit redire post lapsum. M. Quia sic non per se
sed per aliud impulsus cecidit. ita nec dignum erat, cum per se non
potuit
posset per aliud quod non resurgeret. D. Cur non misit angelum
qui illum redimeret. M. Si angelus hominem redemisset. tunc
illius seruus esset homo autem si restitui debuit. ut equa-
lis angelis esset, et aliud oberat. Angelus in sua natura inuali-
dus erat hominem. si autem homo fieret minus posset. D.
Quare non creauit alium hominem de terra. et mitteret illum
pro perdito. M. Si nouum hominem creauisset et misisset. tunc
ad genus ade redemptio non pertineret; de suo enim ge-
nere esse debuit. qui pro homine satisfaceret. D. Cur non
misit patriarcha uel prophetam. M. Quia patriarche et prophete
in peccatis erant concepti et nati sicut alii homines. et ideo ge-
nus humanum redimere non poterant. D. Euolue
et cetera. M. Quia angelus non debuit. et homo satisfacere
non potuit. dei filius per quem omnia subsistunt, ut redemptio fieret per
eum. assumpsit plenum hominem. et in duabus naturis factus
est una persona. et in illa natura qua deus erat uicit diabo-
lum. sicut ipse uicerat hominem. et hominibus predestinatis celum ap-
uit. et angelis coequauit quod solus deus potuit. In ea autem natu-
ra qua erat homo pro iniuria maius mundo soluit. cum mor-
tem indebitam subiit quod solus homo debuit. D. Benedic-
tus sermo oris tui qui de celo eduxit michi filium dei;
sed dic cur filius sit incarnatus. et non pater nec spiritus sanctus. M. Si
pater uel spiritus sanctus incarnaretur. duo filii in trinitate copula-
rentur. unus filius uirginis qui incarnatus esset. alter
filius dei; et alia causa erat. filius est dei similitudo. An-
gelus autem et homo assumpserant similitudinem dei; debuit
ergo ille incarnari cui specialiter facta est iniuria. ut istum
misericorditer saluaret. illum iuste dampnaret. alia
quia omnia per filium. ideo redemptio per eum. D. Cur